MASTER NEGATIVE
NO. 93-81630-15

COPYRIGHT STATEMENT

AUTHOR:

GLOGAU, GUSTAV

TITLE:

DE ARISTOTELIS ETHICON...

PLACE:

HALAE

DATE:

1869

Master Negative #

93-81630-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Glogau, Gustav, 1844-1895.

De Aristotelis Ethicon Nicomacheorum notionibus quae sunt μεσότης et ὀρθὸς λόγος. Dissertatio inauguralis quam ... publice defendet auctor Gustavus Glogau ... Halae, formis Ploetzianis, [1869].

32 p. 21 cm.


Thesis. Halle. 1869.

Vol. of theses.

Restrictions on Use:



TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-3-93 INITIALS BE
FILMED BY: Research Publications






Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202





MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE
ARISTOTELIS ETHICON NICOMACHEORUM NOTIONIBUS
QUAE SUNT μεσότης ET ὀρθὸς λόγος.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE XIV. M. JULII A. MDCCCLXIX

HORA XI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUSTAVUS GLOGAU,

BORUSSUS ORIENTALIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

CAMILLUS WENDELER, STUD. PHIL.

HERMANNUS KROPATSCHEK, DR. PHIL.

HALAE,

FORMIS PLOETZIANIS.

Motto:

Vielmehr scheint er mir als echter Philosoph suchend und strebend gestorben zu sein.

H. STEINTHAL.

(Gesch. d. Sprachwissensch. b. d. Gr. u. R.) S. 181.

PATRI CARISSIMO

CAROLO GLOGAU

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Medietatis et rectae rationis agendi notionum ethicon Nicomacheorum disquisitio accuratior mirum in modum causas nobis suggerit, cur Aristotelis ethices systema sit imperfectum. In qua quidem disquisitione suscipienda vix fieri poterit, quin in Aristoteleae methodi proprietatem excurratur, cum hac demum pensitata notionum illarum sensus proprius cognosci possit.

Iam ad rem ipsam tractandam nos conversuri primum ethices notionem fundamentalem nobis proponamus, ut locum definiamus, quem notiones, de quibus disputaturi sumus, in ethices systemate teneant. Quam ad rem perficiendam librum primum perlustremus.

Ethica igitur Nicomachea Metaphysicon sententia fundamentali nituntur. Ex qua sententia, ut finis omnium rerum vera est substantia, ita omnis quoque actionis humanae. Ita intelligitur Ethicon enuntiatio prima, his verbis concepta:*) „Omnis ars, omnisque cognoscendi via atque institutio, itemque actio et consilium bonum aliquod appetere videntur.“ Nam ποιεῖν, θεωρεῖν, πράττειν humanae essentiae orbem totum complent. — Non vero quaecunque appetimus, pari sensu volumus: multa alius tantum gratia appetuntur. Quid igitur est id, quod proprie volumus, quod sua ipsius gratia appetimus, quid denique finis bonorum? Nam tale quid esse oportet, ne appetitio nostra firmo careat, neve vana neu substantia destituta in infinitum evagetur. Quod summum quidem bonum contentum erit ea scientia vel ea facutate, quae reliquis omnibus maxime do-

*) Aristotelis verbornm versio latina Lambini est, paucis tantum locis mutata. Loci graviores et longiores, quae ad verbum afferuntur, citationis signo („“) distinximus.

minetur easque ducat. Hujusmodi videtur esse politice: „nam et quas in civitatibus scientias esse oporteat, et quas quisque discere debeat et quatenus seu usque ad quod tempus, ea statuit et praescribit. Facultates autem etiam eas, quae summo in honore sunt, ut artem imperatoriam et rationem tuendae rei familiaris et bene dicendi facultatem huic esse subjectas videmus. Quodsi haec reliquis omnibus artibus quae in actione versantur utitur legibusque latis quid agendum et a quibus abstinendum sit praescribit, ejus fine reliquarum artium fines contineri videantur. Itaque hoc erit summum hominis bonum.“

Quidnam vero est, quod a civili scientia expetitur? De nomine ejus inter plurimos fere convenit, „beatitudinem (εὐδαιμονιαν) enim et multitudo et eruditi politique homines appellant..... Sed quae res sit beatitudo, de ea re omnis controversia est.“ — Quam ob rem ut incultorum et cultorum de illa opiniones, ita Platonis doctrina, crisi adhibita, disceptantur, et momentis utilibus praeviis hac ratione repertis utitur insequens constructio, qua summum bonum ponitur esse perfectum quiddam, quod propter se semper sumatur atque eligatur, nunquam vero propter aliud, tum id, quod ipsum per se satis esse nullamque rem externam desiderare videatur.

Sed hae definitiones formales tantum sunt ac generales, id vero desideratur adhuc, ut planius ostendatur, quid sit beatitudo. Ad quam rem teleologo quaerendum est opus et munus hominis, natura ei datum; hoc enim solo potest contineri summum bonum, quod omnes, vel inscii, expetimus et volumus. — Iam vitam alendi augendique vi et facultate praeditam homo vel cum plantis, sensus cum animalibus habet communes; opus igitur hominis proprium relinquitur functio muneris animi rationi consentanea aut certe ratione non carens.

Cum autem sua virtute demum quidque perficiatur, hominis bonum erit functio numeris animi virtute directa, ac, si plures virtutes sint, virtute optima et perfectissima. Et praeterea in vita perfecta; nam hirundo una ver non efficit, hominem vero perpetuae fortunae persequuntur vicissitudines.

Ita in hominis opere, ethices Aristoteleae centrum, finis bonorum definitionem accepimus. Quicunque huic perficiendo totum se dedit, is beatus est: beatitudo et hominis opus eadem sunt res, a diversis partibus spectata. — Iam cum disquiratur quaenam ratio intercedat inter priorum de hominis opere et de beatitudine opiniones et inter definitionem propositam, sequuntur, cum illae multo magis ex vera vita sint desumptae, praeter definitionis propositae confirmationem plenissimam, novae definitiones concretae, quarum gravissimae sunt actiones virtuti consentaneas per se esse jucundas, bonas, formosas; beatitudinem bonis quoque exteris egere, et ut omnino possit extare, et ut eis tamquam remedio et decore utatur. — Itaque jam hoc loco coërcetur postulatio antea pure proposita, beatitudinem esse debere aliquid, quod ipsum per se satis sit, nullamque rem externam desideret.

Acquiritur vero beatitudo virtute ac doctrina aliqua aut exercitatione. In rebus divinissimis numeranda hanc gravem habet praestantiam, ut actione propria ab omnibus possit acquiri, qui non vitio naturae ad vitutem sint inepti et quasi manci et debiles.

Fieri autem potest, ut cujus res hodie sint secundissimae, is tempore futuro maximis calamitatibus afficiatur, ut de Priamo fubulantur poetae. Beatus talis appellari non potest, nam beatitudo firmum quiddam et proprie immutabile existimatur. At indignum fortunae mobilitatem sequi, cum bene vel male vivendi ratio in actionibus virtuti consentaneis posita sit, in quibus maxima rerum humanarum firmitudo. Fortunae autem casus pulcherrime homo beatus feret, ut vere vir bonus et sine vituperatione quadratus, semperque ex iis quae suppetunt res pulcherrimas aget. Beatum igitur eum dicemus, qui suas actiones perfecta virtute dirigit bonisque externis satis est instructus, et id per vitam perfectam.

Ad beatitudinis constructionem generalem perficiendam restat, ut virtus humana accuratius definiatur, quae

non erat corporis sed animi. Itaque in animae cognitionem cura atque opera conferenda est, quatenus sufficiat ad ea quae quaerimus. — Altera igitur animae pars rationis expers, altera est particeps. Prioris autem partis duae aliae cognoscuntur, quarum altera alendi augendique corporis causa, virtutis omnino expers, altera, quae ad appetendum impellit, rationis aliquo modo particeps est, cum in viro incontinenti rationi repugnet, in viro forti ac temperanti autem ei pareat. — Eodem modo pars quoque rationis particeps duas alias habet partes, alteram quae in se ipsa eam teneat, alteram, quae veluti filius patris dicto audiat. Itaque virtutes quoque sunt bipertitae: sunt enim et eae, quae in cogitatione et ratione sint positae, et eae, quae ad mores pertineant. „Nam cum de moribus alicujus loquimur non illum sapientem aut intelligentem dicimus, sed clementem ac lenem aut temperantem. Laudamur autem temperantem etiam ex habitu: at habitus eos, qui sunt laudabiles, virtutum nominibus nuncupamus.“

Haec libri primi enuntiatio est finalis. — In eis, quae hucusque disputata sunt, deductio sincera ex postulatis plane generalibus (sufficientia, voluptate, bonitate, pulchritudine, universitate, duratione, pretio summo), quas necessarie proprias esse beatitudinis ante oculos nostros demonstrabatur, agnoscenda videtur esse, quamvis libri insequentes, quibus notio generalis perficitur, jure pro inductivis haberi possint.

Priusquam vero altius procedamus, hoc nobis ab Aristotele dictum esto, disquisitionem hanc non cognitionis causa esse susceptam, sed ut boni efficiamur. Omnes igitur quaestiones metaphysicae et postremae ad quas alia philosophia est accomodatior, snnt exclusae — Iam vero omnis, quae de rebus in agendo positis habetur oratio rudiore quadam forma est adumbrata, quia, quae in actionibus versantur quaeque ad aliquid conducunt nihil firmitatis nullamque certam sedem habent. Non igitur justum scientiae sunt propositum, vel quae Aristoteles alias iterum iterumque ad hujus operis sui partis imperfectionis causam stabiliendam molitur.

Si vero quaerimus, quomodo transeatur a notione beatitudinis universali, quae universitate circumscripta esse videatur, in vitam activam ex actibus singulis compositam jam scimus,

primum habitus eos, qui sint laudabiles, virtutum nominibus nuncupari; — Multa igitur esse debent faciendi genera multique uniuscujusque eorum actus, —

secundum beatitudinem parari demum vita perfecta.

Itaque postulandum videtur

primo, ut teleologia perfecta singula, quae fieri possint, faciendi genera in systematis modum enumeret, qua enumeratione patefiat, quem locum et quod emolumentum unumquodque habeat ad notionem fundamentalem perpetrandam, quam rem in libris de anima scriptis de sensibus quodammodo praestitit Aristoteles. Tunc opus hominis adhuc plane indefinitum accuratius argumentum acciperet et cognosceretur, qua ratione

secundo singula illa faciendi genera coartatione diversa, quae collocatione illarum in systemate finium specifica fit necessaria, paullatim eo perveniant, ut recte sese habeant. Singula enim faciendi genera fines sunt, fini summo sive beatitudini servientes. — Ita nancisceremur mensuram habituum laudabilium et vituberabilium certam, qua ad eos dijudicandos vix carere possumus.

Sed Aristoteles statim libro secundo ineunte ad virtutis notionem accuratius definiendam progreditur (libri secundi capite primo).

Eae, quae ab ratione et cogitatione proficiscuntur virtutes, magnam partem a doctrina ortum et incrementum habent, morales autem ex more comparantur. Quae quidem prius tractantur.

1) „Virtutes morales consequimur prius virtutis muneribus functi. ......

2) Praete raeex iisdem rebus virtus omnis nascitur per quas interit; nam ex eo quod fidibus canunt et boni et mali fidicines evadunt. ....

3) Eadem igitur et virtutum ratio est. Agendis enim

iis rebus, quae ab hominibus inter ipsos contrahi solent, alii justi, alii injusti efficimur.......

4) Atque, ut uno verbo dicam, ex similibus munerum functionibus atque actionibus similes habitus oriuntur.....

5) Non igitur parum refert sed permultum, utrum sic an sic a pueris assuescamus: immo vero totum in eo positum est."

Virtus igitur moralis exercitatione acquiritur. Ut fidicini fides, ita nobis omnibus vivendi materia data est (3). Ut vero bonus sim fidicen, opus est, ut omnino jam fide cecinerim (1); qua ratione id feci, id fidicinii mei genus definit. Vocabula igitur quae sunt „ex iisdem „rebus" virtus omnis nascitur per quas interit" (2) et „ex similibus munerum".... (4) nihil significant, nisi ex actionibus in paribus rebus pari modo factitatis habitus immutabiles effici, ex bonis bonos, ex malis malos. Sed quid faciendum sit, ut bono modo, recta ratione pertinaciter agamus, hoc ante omnia scire cupimus: ac de ea re ne verbum quidem accipimus. „Non igitur parum refert" .... (5).

Vitae vero materia (3) ex exemplis ab Aristotele propositis in diversas partes dividitur: res, quae ab hominibus inter se contrahi solent, res horribiles et periculosae, cupiditates, irae. Haec sunt multa illa faciendi genera (pag. 9, prim.). Concludendum igitur parem numerum habituum vel laudabilium vel vituperabilium oriri debere.

Unde vero pendet ratio actionis laudabilis? Huic quaestioni perbreviter hunc in modum respondetur (II, 2): „Hoc quidem commune omnium est et positum sit, rectae rationi convenienter agere oportere. Qua de re posterius dicemus: tum etiam quid sit recta ratio et quomodo ad reliquas virtutes affecta sit, exponemus." Tum ad aliam rem transit Aristoteles: „Hoc igitur in primis animadvertendum est haec talia (res in agendo positas) ab eo quod parum et ab eo quod nimium est, corrumpi solere natura, quemadmodum in viribus corporis et valetudine videmus (claris enim et perspicuis, ad ea quae sunt obscura declaranda, exemplis utendum est). Nam et immoderatae et pauciores et remissiores exercitationes vires minuunt, itemque poculenta et esculenta aeque copiosora ac parciora valetudinem perdunt: at moderata efficiunt, augent, tuentur." .....

Homo igitur vel parum vel nimium corporis vires potest exercere, edere, bibere, idem vero justum quoque modum servare potest, quam rem rectae rationi convenienter fieri consentaneum est, quae igitur a moderato non videtur esse diversa. Iam hoc auget, efficit, tuetur valetudinem, corporis vires itemque ceteras omnes habitus laudabiles, „eodem enim modo se res habet in temperantia quoque et fortitudine aliisque virtutibus. Nam ut qui fugit et extimescit omnia nihilque subit et perfert, is timidus efficitur, sic qui a nullo omnino periculo deterretur, sed ad omnia ruit, audax. Itemque et qui omni genere voluptatis fruitur nullaque sese abstinet, intemperans, et qui ab omnibus refugit, quemadmodum solent homines agrestes, sensus expers evadit. Nam ut temperantiam et fortitudinem perimit nimium et parum, sic servat mediocritas."

Mediocritas igitur haec efficere perhibetur! Estne ea ullo modo tamquam sui juris a moderatis exercitationibus, esculentis — separanda, an aliud quam rectae rationis agendi phaenomenon? Suntne nimium, parum, mediocritas vires agentes, an diversarum agendi rationum successus? Iam mediocritatis oritur hypostasis sinistra, quae causalitatis rationem pervertit. —

Sed Aristotelem porro sequamur. „Neque vero", inquit, „ortus et incrementa et interitus habituum ex iisdem et ab iisdem proficiscuntur, sed etiam muneris functiones in iisdem versari reperiuntur .... ut enim vires ex eo nascuntur, quod quis multum cibum capiat multosque labores excipiat, sic hoc utrumque is maxime efficere potest, qui viribus corporis pollet."

Licet magnifice additum sit „neque vero solum", — hanc scientiam satis miseram esse jam snpra (p. 10) docuimus. Verba „sed etiam muneris functiones" et ipsa nihil novi addunt.

Iam locus, quem voluptas in ethice capiat, breviter illustratur, deinde docetur, non esse contradictionem justo

et prudenti demum faciendo fieri hominem justum et prudentem (II, 3), denique demonstratur, virtutes neque perturbationes neque potestates sed habitus esse (II, 4). Relinquitur autem, ut ostendatur, qualis sit virtutis habitus. Ita ad ipsam mediocritatis doctrinam (II, 5) pervenimus.

Et primum quidem virtus pariter atque antea in opere hominis constituendo, definitur.

„Virtus omnis et id cujus ipsa virtus est bene affectum reddit, et opus ejus ornat ac perpolit. Exempli gratia, cum oculum ipsum probum efficit, tum aptum ad omne munus explendum: virtute enim oculi bene cernimus. Itemque virtus equi cum equum bonum efficiat, tum ad currendum equitemque vehendum et hostes sexspectandos expeditum et paratum. Quod si ita est in omnibus, hominis profecto virtus habitus erit, quo homo et bonus fiat, et suo munere bene fungatur.

Conclusionem hanc bene animadverte!

Ut finis ubique regnat ideoque ethices etiam centrum efficit, ut moderatum, parum, nimium, ut virtutis notio et in universum valent et in actionem humanam, ita Aristoteles ubique singulorum phaenomenon formam universalem indagare studet, et hac demum indagata ad specifica descendit. Satis saepe autem haec methodus Aristoteli offecit! Nisi hac re intellecta deductionis insequentis peccata perspicere non possumus. Aristoteles enim in moderato, paro, nimio legem habere videtur sibi humana omnia regnantem et gravissimam.

„Atque hoc quidem, quomodo futurum sit, cum jam antea dixerimus (in prima moderati tractatione) tum etiam magis perspicuum esse ita poterit, si qualis sit virtutis natura considerabimus. Licet igitur in omni re continente ac divisibili et plus et minus et aequale sumere; eaque vel ex ipsa re judicantur, vel ad nos referuntur. Aequale autem quiddam medium est inter nimium et parum. Iam rei medium appello, quod aequaliter abest ab utroque extremo; quod quidem unum et idem est omnibus" Haec omnia sunt aperta. Aequaliter enim medium abest a nihilo et a toto; haec autem sunt extrema. — „Medium porro

ad nos id appello, quod neque superat neque deserit id, quod oportet adesse. Hoc autem nec unum omnibus, nec idem est. Exempli causa, si decem multa, duo pauca sunt, sex rei media sumere consueverunt: aequaliter enim superant et superantur. Atque hoc medium est proportione arithmetica. At quod nobis medium est, non ita sumendum est. Non enim, si decem libras comesse nimium est, duas parum, sex libras alipta praescribit. Est enim hoc quoque fortasse multum vel parum ei, qui sit cibium capturus: Miloni enim parum, ei, qui nunc primum incipit exerceri, multum. Similiterque de cursu et luctu sentiendum. Itaque sciens omnis nimium et parum fugit, mediocritatem exquirit atque hanc exoptat, **mediocritatem inquam non rei, sed eam, quae nobis est mediocritas.**"


Quae postremo loco exposita sunt, ea accuratius sunt spectanda et sententia, quae subest, quamquam simplicissima videtur esse, in ea, quae inde sequantur, est perquirenda. Iam cum mathematica expositio data sit, figurae mathematicae adjectae Aristotelis sententiam nobis accurate illustrent.

Et parum quidem et nimium natura sua amplum habent ambitum, quod figura A_1 illustrat. Nam parum continet omnem quantitatem a puncto simplici prope ad plenam medietatem, nimium omnem quantitatem, quae medietatem vel puncto superat, usque ad plenam rei lineam. Idem rei medium figura A_2 ante oculos ponit, si jam ab initio duo data sunt.

medium


A_1 res

parum nimium




parum a medio quattuor superatur, medium a nimio totidem


Parum vero et nimium ad nos, figura B illustratur. Exemplo afferunter duo homines, diversum evolutionis gradum assecuti, eorumque medium, parum, nimium ex gradus illius diversitate diversa esse perhibentur. Quam rationem figura linearum personalium longitudine diversa significet, et figura quidem B_1 utrumque medium, perpendiculis a lineis personalibus ad lineam realem vergentibus. Figura B_2 minima, B_3 maxima eorum significat, quae uterque homo efficit, quarumque differentia totum utriusque homnisi actionis reddit ambitum. — Iam actionis ambitus quanto quodam edendo constat, quod certam definitionem non videtur admittere. An sunt lineae I—II, 1—2 ullo modo re vera media? Et cujus media? an lineae realis, cujus longitudo est pro lubitu? Sed de hac linea Ari-



linea realis



linea realis



linea realis

stoteles omnino nihil dixit, immo lineae illae media esse debent inter lineas III—IV, 3—4 et V—VI, 5—6, ita ut lineae V—VI, 5—6 omnino personarum a et b sint lineae reales. His enim natura non concedit, ut majus quantum recipiant. At aliarum personarum lineae reales tum aliam semper habebunt longitudinem, ita ut nulla lex universalis hoc loco nobis data sit.


Iam vero quaeritur, servetne idem homo eandem semper actionis lineam? an, si illud minus sit, certe sit uniuscujusqus temporis medium re vera medium?

Hominem nimium et parum edere et bibere, corporis vires exercere cet posse, eundem vero rectum quoque modum servare posse, jam scimus. Hoc postremum, inter duo illa interjectum quodammodo medium vocari potest. Ad quod accuratius definiendum Aristoteles ab eo quod maxime est universale, nostro loco a theoria mathematica, proficiscitur, ostenditque rei medium diversum esse a medio ad nos. Fortasse igitur medietatis notio non nimis est premenda. Sed haec nostra opinio falsa esset: medietatis enim ad nos definitio non ipsam medietatis notionem coërcet, sed ad personarum agentium multiplicem spectat diversitatem. Tum autem accurate docendum erat, quomodo in ea, quae primo intuitu subjectiva tantum videatur esse tamen lex moralis universalis, canon actionum nostrarum inesse possit. De qua re rursus disputabimus.

Quid igitur figurarum nostrarum lineae, quas appellavimus reales, significant? Ad hoc intelligendum Aristotelis sequamur exemplum.

Iam observavimus, actionem eam quae in pondere quodam comedendo constet, proprie nullam admittere definitionem. Repraesentanda igitur esset linea in infinitum vergente, quae altero latere sit definita, cum quisquis edit, ei certe minimum (punctum) sit comedendum. Sed nostrum exemplum hominis tantum spectabat esum, cui summus edendi modus, experientia comp robatus, decem sunt minae, minimus duae minae. Hoc enim sensu in nostro palaestrae exemplo hi numeri, Milo et tiro proferri videntur. Hominis linea edendi igitur numero a binario incipit et numero denario finitur (cfr. fig. C) inter quos duos numeros omnes

linea realis humana



diversitates sunt interjectae, quae in hac ei actione possunt occurrere, quae igitur, cum decem, demptis duobus, efficiunt octo, intra octo minarum spatium continentur. Cujus numeri dimidia pars est quaternarius. Huic numero addito numero binario, infra quem descendi nequit, habes medium sex, quod figura A_2 tamquam rei medium demonstrabat. Quod tamen est „Miloni parum, ei autem qui nunc primum incipit exerceri, multum.“ Prioris enim, summi antiquitatis athletae, maximum sint decem minae, minimum prope sex, alterius minimum duae, maximum prope sex. Medietates igitur, si calculos eodem, quo antea, modo subduxeris, fiunt octo et quattuor: sunt igitur diversissimae. Neque vero in iis legis universalis ullum extat vestigium, ad summum habent subjectivam veritatem.

Sed hae medietates sane cum rei medio possunt comparari, si meminerimus, homini virtutem labore demum esse acquirendam (pag 9 secund.). Si vero hanc medietatem perfectam ponimus, unicuique propositum esse debet, ut medietatem unde proficiscitur subjectivam, paulatim in rei medium commutet. „Signo autem aliquo nobis tamquam sagittariis proposito, id quod expetere nos opportet facilius consequemur (I, 1).“ Hoc igitur signum, virtus

perfecta, rei esse debet medium. False Aristoteles eam vocavit „medium ad nos“, siquidem ejus sententiam recte cepimus.

Omnes has medietatis definitiones accuratiores, a nobis explicatas, Aristoteles non habet. Incerta autem significatio quae est „medium ad nos“ satis dubia erat, ut etiam id contineret, rectum non accurate medium locum inter duo extrema tenere. Quae Aristotelis sententia et ex singularum virtutum tractatione colligas, et ex eo, quod contrarium nunquam demonstrare est conatus. Hoc igitur **quasi rei medium** ex Aritotelis sententia perfecta virtus habenda est.

Tam male sese habet et tam non sufficit medietatum doctrina, cui Aristoteles totam virtutum expositionem connectit!

Quomodo vero ad illam doctrinam devenerit, jam in universum explicare conemnr. Dicta talia, quale est „medium optimum“ tempore ejus inter cultiores Graecos dudum tamquam cardo moralis valebant. Ex methodo igitur, qua Aristoteles ubique utitur, verum quoddam continere debebant. Inprimis vero judicia moralia id, quod tota vita ipsi tamquam vere dignum ac pretiosum experti sumus, reddere conantur. Certe talia judicia unusquisque debet concedere ad ea facta pertinere, quae ethico sunt proposita. Quanti autem nostro philosopho debebant esse momenti, qui diceret „nam quod omnibus videtur, hoc esse dicimus; nec qui hanc persuasionem labefactarit, multo probabiliora dicturus est!“ (X, 2). Quae quidem rectissime mihi videtur dixisse.— Iam vero Aristoteli medietatis vis legislatoria eadem in universum videbatur valere, in unaquaque doctrina et in arte „quae omnes medietatem spectantes opus suum bene perficiant“ (II, 5). Nobis haec cogitatio vix videtur intelligi posse. Explicari videtur posse ea tantum hypothesi, Aristotelem artis, agendi, cognoscendi opera bona et mala animo suo tamquam perfecta praesumentem, tamquam delectum eorum admittere. Ea primitus nondum esse sed **oriri** demum, hujus rei plane videtur esse oblitus.

Deinde non agnoscit id, quod morum est proprium, cum eos in eodem gradu ponant, in quo valetudinem et vires. — Ita facile ad demonstrationes mathematicas devenire poterat, quae medietatis sapientiam, jam diu inventam, facerent doctrinae propriam id est in perpetuum duraturam.

Nunc eodem loco, quo constitimus pergentes, ad hujus doctrinae applicationem pervenimus.

„Itaque sciens omnis nimium et parum fugit, mediocritatem exquirit atque hanc exoptat."

Hae nimirum viri boni causae perhibentur!

„Virtus enim ad mores pertinens, in perturbationibus atque actionibus versatur, in quibus est et nimium et parum et mediocritas, ut timere, fidere, concupiscere, odisse atque aspernari, irasci, misereri et ut semel dicam, gaudere et dolere potest quisque nimium et parum atque utrumque non recte. At vero quo tempore et propter quam causam et quibus et cujus rei gratia et quomodo oporteat his affectibus commoveri, id sane et medium est et optimum, quod in virtute situm est."

Consentaneum est nos magnopere mirari: „At vero quo tempore et propter quam causam, et quibus, et cujus rei gratia, et quomodo oporteat his affectibus commoveri — medium est!!" Itane vero? haecne in praecedentibus deducta sunt? Haecne sunt phaenomena geometrica an potius animum spectantia, quorum explicationem sola possit subministrare recta ratio (ὀρθὸς λόγος), ex qua, in rebus sensualibus apparente, antea nobis visa est consequi medietas!!

Primo medietas mathematice est definita, cui gymnastarum minae quodammodo subjici potuerunt, ita ut recta ratio nunc et semper harum rerum tamquam mensura nobis data, in hac materia sensuali agendi inveniret materiam. Num vero timere, fidere, concupiscere .... omnino ulla sunt materia? ac si jam sunt, nonne opus erat, ut certe eorum differentia specifica enarretur? Aristoteles enim ipse (II, 7 init.): „sermones", inquit, „qui habentur de actionibus, ii,

qui ad genus universum pertinent, aliquanto sunt inaniores qui vero partes et res singulares explicant, veriores. In rebus enim singularibus consistunt actiones cum his autem oportet orationem congruere."

Iam, qua alia ratione in his quantitatibus certe intensivis, in quibus categoria maxime generalis ideoque pauperrima, ea quae in plure et minore versatur, certe locum habet, recta ratio procedere debet? Satis usurpata quidem haec medietas est ea doctrina, quo virtus *μεσότης δύο κακιῶν* esse perhibetur: hoc loco erat probanda.

Sed his omnibus nihil respondetur. Rectae rationis enim tractatio in posteriorem locum est dilata (pag. 10), et medietas facta est causa efficiens, quae, si quid omnino, nihil potest esse nisi id, quod multis viribus coëfficientibus efficitur. Hae igitur vires erant proponendae. Illi vero schema abstractum, quod nunquam plenam virtutis vitam comprehendere potest, pro vera cognitione est, et pondere suo in procedendo altius rectam rationem paene totam suffocat. Aristoteles enim (paucis tantum verbis omissis) ita pergit:

„Est igitur virtus habitus ad consilium agendi capiendum aptus et expeditus, in ea mediocritate positus, quae ad nos comparatur, quaeque ratione est definita et ut prudens (ὁ φρόνιμος) eam definiret" (II, 6 init.) — De consilio Aristoteles postea agit, prudens autem virtutem jam habet, quamobrem ejus esse potest mensura. — „Mediocritas autem seu medium est duorum vitiorum, unius quod ex nimio, alterius quod ex eo quod parum est, nascitur. .... Quocirca virtus ex sua essentia et ratione, quae quid sit res declarat, mediocritas est, ex optimo autem et perfectione summum."

Hoc loco perturbationem, quam ostendimus apertissimam habemus, neque opus est, ut quidquam addamus. Haec enim verba: „ex optimo et perfectione summum" propriae virtutis definitioni libere tantum adjunguntur. Nam hoc sane Aristoteles sensit, eam etiam esse optimum. Sed nusquam speciatim tractatur haec ratio.

Medietatis doctrina pertractata est. Quae caput no-

strum continet reliqua, ea sunt inania et vix Aristotelea. Multis enim explicatur malevolentiae, invidiae, adulterii, furti, caedis non esse medietates: esse enim quaedam quorum nominibus statim vitium sit implicitum. — Nonne igitur jure Kantius Aristoteleam medietatem falsam esse declaravit, haec dicens:

„Die gewöhnlichen, der Sprache nach ethisch-klassischen Formeln: medio tutissimus ibis; omne nimium vertitur in vitium; est modus in rebus etc medium tenuere beati; insani sapiens nomen habeat etc. enthalten eine schale Weisheit, die gar keine bestimmten Principien hat: denn dieses Mittlere zwischen zwei äusseren Enden, wer will es mir angeben? Der Geiz (als Laster) ist von der Sparsamkeit (als Tugend) nicht darin unterschieden, dass diese zu weit getrieben wird, sondern hat ein ganz anderes Princip (Maxime), nämlich den Zweck der Haushaltung nicht im Genuss seines Vermögens, sondern, mit Entsagung auf denselben, blos in den Besitz desselben zu setzen: sowie das Laster der Verschwendung nicht im Uebermasse des Genusses seines Vermögens, sondern in der schlechten Maxime zu suchen ist, die den Gebrauch ohne auf die Erhaltung desselben zu sehen, zum alleinigen Zweck macht.“ (Metaphys. Anfangsgründe der Tugendlehre ed. I, p. 44).

Caput insequens (II, 7) virtutis definitionem propositam per singulos actionis humanae circulos explicat, ita ut dicatur. esse eam medietatem inter extrema, quae intra circulos illos esse possint, quaeque et ipsa afferuntur. Duodecim vero ejusmodi circuli nominantur: metus et confidentia; voluptas et molestia, quae in tactu versantur; donandae at accipiendae pecuniae; magnae pecuniae; honor et infamia; ira; veritas in sermonum et actionum communitate; jucunditas in joco; jucunditas, quae in vitae communione locum habet; verecundia; molestiae et voluptates ob ea commoda susceptae, quae alteri obtigerunt.

Iam quaeritur, sintne haec omnes, perturbationum et actionum formae, quae antea tamquam vivendi mate-

ria significatae sint? Ubinam est miserere et ea quae his verbis erant comprehensa: „et, ut semel dicam, gaudere et timere?“ ubi desiderium, alio loco allatum? ubi officii muneris et vitae publicae actio multiplex? An haec tamquam individualis, non jam pertinet ad ethices practicae elementa? — Cavendum est ne justitiae, quae libro quodam posteriore, tractatur, nimium imponatur, neve nimium tribuatur loco breviori, qui est de actione publica (II, 8). Nam virtutes, quae inde sequantur, per se nec nominatae nec tractatae sunt. Iustitiae vero genus utrumque tabula ideo non attulit, quod hujus definitio et dijudicatio difficilis magis apta sit virtutum expositioni, quae sequitur copiosiori.

Quod autem principium circulorum singulorum seriem definit? Aegre tantum invenias fere seriem ab inferiore ad sublimius adscendentem. Sed extrinsecus tantum est composita, unumquodque membrum segregatum, perturbationes et actiones permixtae, ea quae eodem spectant, disjectae, ut usus virtutes (die Umgangstugenden) in tres partes dissolutae sunt, in nonnullis circulis duo nimii vitia proposita. Singuli vero circuli sunt incertissimi. Ut fortitudo perhibetur versari in „fiducia metuque“, vel „in iis, quae fiducia complent animos et in iis, quae terrorem afferunt“. Rursus vero inde efficiuntur circuli plane separati; fortitndo enim „magis est in iis, quae terrorem afferunt.“ Sed utriusque fines non sunt certi, quid timendum et quid persistentum sit, solum honestum docet, itemque quomodo oporteat, quo tempore, ita ut nunc hoc nunc illud vere sit timendum. Et tamen circuli tamquam reales erant propositi. — Iam igitur habemus, quid sequatur ex relationum, quae ad animum tantum et quae ad res spectant, confusione. Unde nascitur saepe obscuritas vix illustranda. Quamvis in expositione copiosiore saepe dicatur, honestum vel rectam agendi rationem esse, quod virtutem faciat virtutem, — notio honesti non definitur, honestorum connexus et systema nunquam demonstrantur.

Quum enim Aristoteles de recta ratione, ethices vinculo intimo, plane nihil hucusque dixerit, super fundamento

incerto construit, et medietas corroborata et spectabilis omnia quasi inundat. Si tamen tamquam servatore recta ratione opus sit, officiosa adest.

Rectae vero rationis expositio, quae sexto libro invenitur, itemque justitia sensu latiore tamquam omnium virtutum conjunctio proposita, parum nos potest juvare. Illa enim ibi etiam minus subtiliter intellecta est, quam quod Aristoteles, occasione data, facit, ut de ea conjiciamus, haec vero unio postulata tantum neque re vera demonstrata est et perfecta.

Nunc methodi libro secundo incipiente commutatae admonemus (cf. pag. 8). Ibi enim jam afferendi fuisse videbantur nobis hominis agendi circuli, et tamquam systema quidem bene dispositum, quod coëfficiendo beatitudinem, hominis finem supremum efficeret. Ita uniuscujusque circuli actiones ceterarum actionibus diversum in modum coartatae essent, et haec coartatio, diversa in unaquaque actione, mensuram praebuisset ad definiendum sintne habitus singuli laudabiles an vituperabiles. Ita recta agendi ratio ad propriam tractationem satis erat praeparata. Deinde singulares virtutes pertractari poterant, quarum unio relatione ad praecedentia satis erat servata. Sic liber primus, qui profectus est a definitionibus plane abstractis, quae magis magisque concreto complentur, apte esset continuatus. At — Aristotelis methodus, in vias falsas deducta, incerta fit, simul ac notionis generalis fundamentum latum deseruit. Synthesis interrumpitur et a libro secundo usque ad postremum disquisitiones speciales analyticae nobis prononuntur, quodammodo in totum conjunctae.

Ne singula accuratius tractemus rei nobis propositae finibus impedimur, cum praesertim ad Kantii disputationem praeclaram relegaverimus.

Mittimus igitur ea, quae de libero arbitrio sunt dicta, itemque de actionum defensione, quaeque de singulis virtutibus singillatim sunt exposita, et ad ὀρθὸν λόγον perquirendum transimus, libro sexto tractatum.

Postquam repetitum est, quae sit ejus gravitas (VI, 1), dictumque virtutes esse aut morales aut in cogitatione et ratione positas, jam (VI, 2) animae pars rationis particeps, definitur esse bipertita, quarum partium altera res eas cernamus, quarum principia aliter sese habere non possint, altera eas, quae hoc vel illo modo possint evenire, „siquidem iis ex similitudine quadam atque affinitate rerum cognoscendarum cognitio comparetur“ (!)

„Intelligendum igitur est utriusque harum partium, quis optimus sit habitus. Hic enim utriusque virtus est“, quae quidem virtutis moralis praebet mensuram et finem.

„Tria autem sunt in animo, quae actionis et veritatis dominatum obtinent, sensus, mens, appetitus. Ex his tribus sensus nullius actionis principium est, quod ex eo perspicuum est, quod, tametsi bestiae sensu sint praeditae, actionis tamen communionem non habent. Quod est autem in cogitatione affirmatio et negatio, hoc est in appetitu (qui alteram efficit animae partium non rationabilium, rationis aliquo modo participem) rei alicujus persecutio et fuga.“ Cujus rei illustratio accuratior non tentatur. „Quare, quoniam virtus moralis habitus est ad consilium capiendum expeditus, consilium autem (quod libro tertio copiose est expositum) appetitus est, ad consultationem accomodatus, idcirco, si consilium bonum esse volumus, oportet et rationem esse veram, et appetitum rectum, eademque et illam affirmare et hunc persequi.“ Qua vero ratione id efficiatur, nunquam docetur. „Haec igitur cogitatio et veritas ad agendum valet. Cogitationis autem ejus, quae ad res contemplandas, non ad agendas neque ad efficiendas valet praestantia et vitium est verum et falsum.“

Iam cum hic tantum de recta ratione ad actiones spectante disputemus, mittimus eam animi partem, de qua postremo loco dictum est. Itemque multum ab re nobis proposita abest, ut in psychologiae huic parti subjectae, labyrinthum altius penetremus, quae ab ea, quae in libris de anima scriptis est proposita, plane est diversa. Illo loco anima per se est objectum, hic vero disquisitio ethica phaenomena et rationes ejus deprehendit, quae, cum illo loco

quaerenti non obvenirent, hoc ipsam rerum substantiam efficiunt. Similis rhetoricon est conditio. Quae vero ita cognita sunt ad psychologiam pertinentia, ea non statim conjungi possunt cum Aristotelis animae notione, ipsa disciplina parta. Doctrina enim artior est, quam ut experientiam comprehendere possit. Quam contradictionem Aristoteles satis graviter sensit. Unde nascitur quod in his rebus inest incertum, singulorum phaenomenon huc pertinentium vinculi defectus, rursus studium anxium, ut omnis diversitas, quamvis minima sit, capiatur. — Nos vero omnia psychologica, quae hic proposita sunt, placido animo neque crisi adhibita accipimus.

Si igitur pars rationalis cum appetitu concinit, — nam cogitatio ipsa nihil movet — virtus inde fit moralis. Agendi vero veritas et finis recta ratione definitur. Haec in animae partium rationabilium altera est quaerenda, quae ad agendum erat idonea.

Ad caput insequens transeamus (VI, 3): „Ac sint sane quinque numero, quibus animus verum enuntiat vel ajendo vel negando: ars, scientia, prudentia, sapientia, mens sive intelligentia.“

De scientia additur, quod ea comprehendi possit, necessario esse, de recta autem ratione in ea nihil dicitur. Deinde (VI, 4) ars omnis „habitus quidam cum ratione conjunctus, in origine et molitione rei occupatas est, idque molitur et exspectat, ut aliquid fiat eorum, quae esse et non esse possunt.“ Accuratior determinatio, quae rationis illius argumentum doceret, non est addita: pertineat ea ad artis potius doctrinam.

Prudentia denique (VI, 5) „est habitus cum ratione vera conjunctus, ad agendum idoneus, in iis occupatus, quae homini bona et mala sunt.“ Ea praecelluerunt Pericles hujusque similes, omnino oeconomi et politici. Ex ea etiam nomen invenit σωφροσύνη, tamquam φρονήσεως servatrix (φρόνησιν verbo „prudentia“ vertimus). „Non enim omnem existimationem corrumpunt neque depravant dolor et voluptas, exempli causa triangulum duobus rectis pares angulos aut

habere aut non habere, sed easdumtaxat, quae ad id quod sub actionem venit pertinent.“

Quaenam autem est recta illa existimatio de iis, quae sub actionem veniant, quam parem facit prudentiae? Nihil videtur esse posse, nisi recta agendi ratio, jamdudum appellata.

Aristoteles statim pergit:

„Eorum, quae sub actionem veniunt principia sunt ea quorum gratia suscipiuntur ea, quae sub actionem veniunt i. e. eorum fines.“

Cur vero hi non singillatim percensentur? Nam adhuc summum tantum bonum finem novimus, qui constat beatitudine. An haec plane congruit cum recta ratione agendi? Tum prudentia et ipsa utrique congruere. —

Sed multis finibus, multis rectis agendi rationibus est opus!

Aristoteles non impeditus pergit: „Qui autem voluptate aut dolore corruptus est, ei statim principii videndi facultas eripitur; neque is animo cernere potest, se hujus rei causa et propter hanc causam omnia optare atque agere oportere. Vitium enim principii delendi ac perimendi vim habet. Quapropter necesse est, prudentiam habitum esse cum ratione vera conjunctum, ad agendum idoneum, in bonis humanis occupatum.“

Haec non notionis expositionem accuratiorem videntur praebere, sed veri habitus. Non autem de habitu vero, sed de vera ratione quaerimus.

Minime novae neque magis graves sequentes sunt prudentiae definitiones, esse eam ejus animae partis virtutem, quae ad opinandum valeat, nec habitum cum ratione conjunctum tantum, „quod hujuscemodi habitum delere possit oblivio, non possit prudentiam.“

Estne vero his satis factum ei, quod in rectae rationis commemoratione prima (pag. 10) promissum erat, postea expositum iri, quid sit et quomodo ad reliquas virtutes affecta sit? Satis male huic promisso responsum est, nullo enim verbo ratio, quae inter eam et medietatem intercedat, hic commemoratur.

Itaque beatitudinis, rectae rationis agendi, prudentiae ratio obscura manet. Sunt et prope cognatae et rursus diversae, ut contemplanti ita in actione. Recta vero ratio pessime se habet: hujus argumentum beatitudine et prudentia plane absumitur. Et tamen continuo in singulis virtutibus tractandis tamquam has singulas procreans perhibetur, habensque propriam essentiam.

Iam igitur, ut quaestionis finem assequamur, quaeramus:

primum, qua ratione nobis ex Aristotelis vera sententia distinguendum sit inter beatitudinem, prudentiam, rectam rationem;

deinde, et quaenam causa sit, cur recta ratio sit, proposita et sintne demonstranda hujus causae in Aristotelis ingenio magis explicatae vestigia, etiamsi illo inscio.

Aristoteles quaerens (I, 1), qui sit hominis finis, solum responsum invenit beatitudinem. Quaestio ejus terram fere non egreditur, quae de Deo et immortalitate auguratur, incertiora erant, quam ut inde praemissa ad hominis finem interiorem proponendum nasci potuissent. Beatitudo vero quid proprie sit, contra priorum judicia omnia liber primus docet.

Notionem igitur beatitudinis generalem, quae ethices suae quasi quaedam est metaphysice, praecipue et proprie Aristoteles vocat εὐδαιμονίαν. Hoc specimen, si a singulis hominibus perpetratur, metaphsice igitur fit physice, prudentia exsistit, tamquam ejus animae partis rationabilis perfectio, quae actionem (πρᾶξιν) ducat et definit. Hominis vero tota actio agendo, efficiendo, contemplando constat. Itaque prudentia et beatitudo jam ambitu non congruunt. Tum illa continetur in singulis, et omnibus rationibus satis facere debet, quae intercedunt et inter singulas animae partes, et inter homines in re publica una viventes; ad vitae igitur pertinet commercium, non ad notionem abstractam.

Nunc transimus ad rectam rationem. — Iam antea docebamur (II, 1), neque natura neque praeter naturam nobis ingenerari virtutes, sed sic affectis, ut ad eas suscipiendas

idonei simus natura, perficientes nos more et consuetudine. Primitus igitur in nobis naturale quoddam regnat, quod nobis cum reliquis animalibus est commune. Omne enim facere est appetere. Quum totum appetere nihil sit nisi fundamentum finis supremi, rectae rationi fit consentaneum et actio exsistit perfecta. Rectam rationem vero ex ea animae parte derivandam vidimus, quae tamquam patris dicto audiat. Haec autem paulatim et sero tantum explicatur, unde rectam rationem idem facere concludimus.

Aristoteles tamen de hac re tacet. Ac fortasse accuratiora nos docet sapientiae et mentis sive intelligentiae disquisitio, qua suprasedere posse antea (pag. 23 in fin.) putavimus. Sed homo vere sapiens hujus mundi agitationem jam infra se misit, et de mente sive intelligentia plane nihil audimus, nisi esse eam principiorum. Quantumvis scientiae et artis principia in aliis philosophiae partibus tractentur: unde actiones recte obeundae principia capiant, id profecto hic erat demonstrandum, ad hanc rem Aristoteles postulatum in universum propositum, ut ex hac ethice practica omnes quaestiones metaphysicae et postremae excluderentur, nequaquem debebat extendere. Tacet nihilominus ideoque rectae rationis et origio et substantia incomperta manet.

Opinio vero Aristotelis satis obscura haec fere fuerit.

Ut ea animae pars, quae ad appetendum impellit, jam maturissime in educatione „patris rationem habeat“ (I, 13) itaque „rationis cujusdam sit particeps, nempe qua ei pareat atque obtemperet“ (ibid), ita hanc magis magisque rectam fieri rationem. Et primum quidem obscurum tantum habemus impetum, qui creberrime his verbis significatur „ut oportet“ sed eundem actionum nostrarum regulatorem satis sufficientem. Quantulumcunque veri finis humani mihi etiamtunc in conscientiam venit, virtute (δυνάμει) totus hic finis subest omni actioni meae, quae ad perfectionem tendit, simulque stimulus est evolutionis ad beatitudinem. Itaque in „medio ad nos“ ratio immediata inter medietatem subjectivam et objectivam statui poterat (pag. 16). Iam si hic sensus obscurus cogitando concipitur,

rectam rationem accipimus, tamquam actionis nostrae specimen et signum.

Hac re in alterius quaestionis responsionem transgressi sumus et restat, ut definiamus, in quantum et in quas partes hoc germen in philosophi nostri cogitatione sit explicatum.

Systema finium servientium praemissis Aristoteleis multifariam postulari videbatur (pag. 9, 22). Beatitudo **unum** est, genera ac modi agendi **multa**, singuli actus uniuscujusque **innumerabiles**. Quibus respondent: **una** notio principalis, **multi** fines huic perficiendae servientes, **innumerabiles** explicationis gradus uniuscujusque.

Hi vero ex eis quae postremo loco exposita sunt, rectae sunt quae explicantur rationes. Aristotelem deficiunt, quod et systema finium servientium eum defecit.

Schematismus autem, ut cum Kantio loquar, quo finis fundamentalis in multitudinem servientium dividitur, in vita vera quaerendus est, quae hominem prope eodem tempore diversissima ratione ad agendum cogit. „Homo civile animal est et ad societatem vitae natura aptum (IX, 9)“, respublica campus ejus est, in quo solo potest et se movere et adolescere. Ethice igitur est scientia quaedam civilis, vir publicus ante omnia cives vult reddere bonos et legibus obtemperantes, ex hac ratione statuit, quas in civitatibus scientias esse oporteat, quas quisque discere debeat et quatenus, in sola republica quaerenda est sufficientia (*αὐτάρκεια*). Iam quaenam sunt vitae agentis rectae rationes?

Sine ulla dubitatione respondeo: leges.

Hae enim agendi exemplaria et signa, primitus sane vitae actione tantum sunt explicata, dira necessitate vel ut vivi omnino possit, urgente. Et rerum quasi ratione sana systema necessarie efficiunt. Compluries ipse Aristoteles medium non significatur verbis „ut oportet“ sed his „ut lex praescribit“, aliis locis utrumque promiscue ponitur. De urbanitate haec afferuntur, hominem politum in salse dicendo sic esse affectum, perinde ac si ipse lex sibi

sit, et alio quodam loco „ut educatio studiaque et exercitationes legibus essent descripta necessarium esse .... Sed quoniam corroboratis jam aetatibus ea quae didicerunt studiose tractare et persequi iisque assuefieri oportet, etiam in his nobis fuerit legibus opus, et omnino in omni vita traducenda.“

Cum his accedat, quod justitia sensu latiore comprehensa, quae quidem omnium virtutum unionem repraesentare perhibetur, ex lege est, quod vel aequitas nihil est nisi recteficatio ex legum valentium sensu, quae propter generalitatem saepe sunt justo duriores, quod reipublicae formae diversae sunt diversitate ejus, ex quo lex in singulis civitatibus civium pendit jura et officia, jam legum gravitas omnes vitae partes spectans et regnans satis videtur elucere, eaeque agnoscendae erunt esse vitae rei publicae ea ratio, quam quaerimus. Lex enim est honestum, et in quantum fieri potest, definit, quod oporteat, quo tempore, quibus cet. Omnis agendi ratio lex appellari potest. Itaque ea, quae recte se habet, recta est ratio et legum systema idem est finium singulorum, qui debentur, systema.

Quam rationem id in homine singulari habeat, hoc sane Aristotelis psychologia docere non potest. Itaque fugit eum et rectae rationis origo, et ejusdem legumque congruentia.

Iam lex sane quidem una ex parte majorem habet recta ratione ambitum. Nam praeter internam persuadendi vim, utrique communem, externam etiam habet, qua perpetret id quod velit. In republica enim, quae a Platone homo major appellatur, civium corporibus separatis, functiones quoque hujus hominis majoris sunt separatae, ita ut judex sit jus animatum et adire ad judicem idem sit atque adire ad jus. Quam ob rem in republica bona ratio nunquam perturbari potest cupiditate: illius vis valida, hac non impedita, scelestum assequitur. Iam nobis aperta fit significatio vocis: homo civile animal est. Singularis enim homo, sibi ipsi commissus, multo debilior et im-


potentior est, quam qui possit fieri id, quod debeat.

Denique spectemus rationem, quae intercedat inter „medietatem“ et „summum“, quorum utrumque virtutis definitione continetur: „ex sua essentia et ratione, quae quid sit res declarat, **medietas** est virtus, ex optimo autem et perfectione summum.“ Quid significat summum? quid optimum, quo metiaris?

Beatitudinem cognovimus esse summum bonum, honore dignum et perfectum. Qua data et singularum etiam virtutum ex ea dimetiendarum gradus et quasi dignitates data debent esse. Cum enim homo vix omnem facultatem ad perfectionem exculturus itaque beatitudinem plenam et propriam vix acquisiturus sit, gravissimis certe, quas quidem gravissimas esse tunc debet cognoscere posse, prae ceteris studebit perficiendis. Hujusmodi observationes ipse Aristoteles in libro finali, quo omnia breviter comprehenduntur, attulit (X, 7), easque cum praemissis nostris plane congruentes. Sed ea virtutis definitio, de qua nunc dicimus, solam **singularis cujusque** circuli actionem spectabat, quando recte se habeat, quando minus, et virtutem singularem volebat esse medietatem. Tum vero singularis virtutis respectus ad beatitudinem non mediatus „paulo inanior“ est; hic enim in his verbis videtur esse positus „ex optimo et perfectione summum“, quorum haec fere est sententia: ex ratione quam habeat ad summum bonum, h. e. beatitudinem, virtutem esse uniuscujusque agendi generis, ad eam perpetrandam postulati, perfectionem. Hoc vero nihil videtur esse posse, nisi esse eam rectae rationi convenientem, falsae rationi oppositam, et rursus recta ratio clam adjuvat. Unaquaeque vero recta ratio eo, quem antea significavimus, modo ex beatitudinis notione proficiscendo erat explicanda. Quod cum Aristoteles omiserit, illa remansit verbum argumento carens, neque singulae virtutes **notione** cum beatitudine, summa notione, sunt conjunctae.

Quae et definitio mechanica tantum et virtutis singularis

separatio, relatione exclusa, satis offendet, si in figura nostra dignitatis lineas introducimus.



Sit A B agendi circulus omnibus animalibus communis et infinitus, C D specificus et humanus. Quod supra vel infra hunc est positum, vel feritas est, vel heroica quaedam ac divina virtus (VII, 6). Iam lineae perpendiculares sunt lineae dignitatis, quarum summa in E, quod est humani agendi circuli medium, assurgit, ceterae vero utrimque pari modo labuntur, donec transeant, in id, quod infra hominem sit, itaque bestiale. Transitus autem, qui altera ex parte fit in id, quod supra hominem est, itaque divinum, ex nostra quidem figura perspici nequit.

Iam si ex his studiis satis videatur elucere, quomodo Aristoteles eo, quod recta ratio in ethicis Nicomacheis umbra tantum manserit, neque vero id, quod ea vult, sit conceptum et in notionis formam redactum, medietati significationem non defendam tribuere potuerit, haec autem doctrinam ejus in vias plane falsas deduxerit, ita ut omnis notionum connexus inter beatitudinem, ethices notionem fundamentalem, et virtutem singularem pereat: id quod nobis propositum esse in capite dissertationis hujus significavimus, fere praestitisse videamur. — Minime vero negaverimus impedimenta multa alia philosopho nostro obstitisse, quae in

psychologia non satis aperta, in notionibus multis vagis et paene exsanguibus, quibus et ipsius Aristotelis cogitatio utitur, ante omnia in operis suscepti magnitudine erant posita. Nam primus vitae agentis et verae immensam latitudinem, hujus effectus proprios insecutus, intelligere est conatus: ut hoc propositum vel Aristotelis oculo penetranti officeret, imperfectionis humanae lege generali est effectum.

VITA.

Gustavus Glogau, Tilsensis, natus sum a. d. VIII Id. Iun. anno hujus saeculi XLIV, patre Carolo, sacerdote, matre Friderica e gente Reicheliana, quos adhuc vivere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis imbutus a. huj. saec. LII in gymnasium Tilsense receptus sum, quod directore Fabiano per undecim annos frequentavi. Examine publico probatus vere anni MDCCCLXIII Berolinum me contuli, ut academiae militari ascriberer. Sed quia studium rerum naturalium animo non satisfaceret, anno intermisso in universitatem litterariam me contuli Berolinensem, imprimis philosophiae operam daturus, ibique scholis interfui per septem semestria virorum clarorum b. Boeckhii, Droyseni, Hauptii, Holtzendorfii, Hübneri, Kieperti, Kirchhofii, Mommseni, Müllenhoffii, Rankeni, Steinthali, Trendelenburgii, cujus exercitationibus philosophis per sex semestria interfui. Quibus omnibus, maxime de me meritis, gratias ago quam maximas. —

Paulo postquam academica studia absolvi, in Poloniam Russicam educator me contuli, unde ante hos tres menses Berolinum redii.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Historiae philosophiae studium, quaestionibus demum philosophis, quae per omne tempus eaedem fere solent esse, accuratius inspectis, verum habet fructum. Non igitur ab illa philosophiae studium est incipiendum.

II.

Leibnitii monades, a Lotzio iterum introductae, veram mihi videntur efficere substantiam.

III.

Psychologia, qualis his nostris temporibus tractatur, fundamentum est omnium ut metaphysicarum et logicarum ita historicarum quaestionum.

IV.

Egregie Steinthalius (Gesch. d. Sprachw. b. d. Gr. u. Röm. S. 267.) „Denn die recht erkannte Geschichte ist das unendliche Drama, und sie ist nicht nur philosophischer, sondern auch poetischer als die Poesie.“
